

li vel boni, illo mali culpe, mali pene et mali temporis &c. omnes has Distinctiones e Textibus biblicis eruendo. In C. XLI. abrumptur, et ex adjecto Indice adparet, vix Operis dimidium hoc Codice contineri. Autor ejus non proditur.

DIV.

- U. 449 Codex membraneus lat. Sec. XIV. ineuntis Folior. 177. f. per duas columnas minute perscriptus, emtus, ut Theca anterior testatum facit, a. 1432. et cum XVII. aliis donatus ad Librariam Collegij Ducalis a M. Andrea de Weytra est alterum supra dicti Commentarii Exemplar, et quidem plenius; orditur enim, ut in Editis: *Deus autem qui diues est in misericordia propter nimiam caritatem suam &c.* et ad calcem addit: *Explicit liber tercius fratris bonaventure super sentencijs. Omnis laus in fine canitur.*

II. fol. 118. sequitur ἀνεργαφως Ejusdem Commentarius in Librum IV. Sententiarum. Initium est: *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis &c.* Ut Edit. Lugdun. suprac. T. V. Siftit tamen in Distinctione XXII. unde paullo recentiore calamo adjectum: *Sequitur distinctio 23^a que incipit Preter premissa est etiam aliud sacramentum &c.*

DV.

- U. 448 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 421. f. per duas colum-

nas nitide exaratus et rubro distinctus aliud est Exemplar Ejusdem in Librum IV. Sententiarum absque omni inscriptione incipiens: *Unguentarius faciet &c.* ut superius, sed integrum. Ad calcem legas: *Explicit quartus bonaventure. Deo gratias. Anno domini &c. (14)42. Jar. p.*

Adscriptus est Sermo in illud Marc. ult. *Ecce locus ubi posuerunt eum, qui incipit: Verbum est angeli admonentis sanctas mulieres que uenerunt ad sepulcrum &c.* et urget, ut earum exemplo dominum ploremus ungamus et cum eo sepeliamur, verum posteriore parte situ corruptus est.

DVI.

- Codex membraneus lat. Sec. U. 414 XIV. Folior. 160. f. per duas columnas caractere difficili, ut sunt fere omnes Libri scholastici hujus aevi, ob nimia vocum compendia perscriptus, et rubricis distinctus hanc Notam praefert: *Hec sunt questiones super tercium librum sententiarum bonaventure empte a Domino Vlrico de hospitali ad librariam Collegij Ducalis Wyenne pro 12 solidis et 20 denarijs solutis de pecunia Erhardi Bedelli cuius anima requiescat in pace Christi.* Expositio porro Doctoris Seraphici sic init: *Deus autem qui diues est in misericordia propter nimiam caritatem suam &c.* ut Edit. Lugd. 1668. Opp. T. V. p. 1. Sed abest a Codice post Prooemium Textus Lombardi; a verbis enim: *et imitatores cre-*